

doctissimum in primo antiquitatum titulo nono
dicere arithmetiam & astronomiam. abraham primum
aegyptiis tradidisse. Unde semina suscipientes ut sunt
homines acerrimi ingenii excoluisse sibi reliquas
lataus disciplinas quas merito scilicet patres nostri legendas
studiosissimis persuadent quoniam ex magna parte
per eas a carnalibus rebus appetitus abstrahitur. &
faciunt desiderare quae praestant deo solo possi-
mus corde respicere. quocirca tempus est ut de eis
singulatim ac breuiter disserere debeamus.

DE ARITHMETICA

Scribtores saecularium litterarum inter disciplinas
mathematicas primam omnium arithmetiam esse
uoluerunt. propterea quod musica & geometria
& astronomia quae sequuntur indigent arithmetica
ut uirtutes suas ualeant explicare. uerbi gratia simplum
ad duplum quod habet & musica indiget arithmetica geo-
metria uero quod habet & triginum quadriangulum uel his
similia idem indiget arithmetica. Astronomia uero
quod habet & in motu siderum numeros punctorum indiget
arithmetica. Arithmetica uero ut sit neque musica
neque geometrica neque astronomia egere cognoscitur.